

Sed quæ jam ante diximus , nolo hic retexere.

Hinc colligi potest , quanta illis temporibus dignitate præluxerit Eboracum nostrum , cum Imperatorum fuerit sedes. Memorant etiam patrum scriptores à Constantio Episcopali sede hanc urbem exornatam fuisse: Taurinum autem Martyrem , Ebuovicum sive D' Eureux Episcopum hic præfulem egisse , non ego tamen cum aliis dicam , nam Vincentius è quo illi hunc errorem hauserunt , me falsi suis ipsius verbis convinceret. Cum vero Romani cessissent , & Britanniam prædæ barbaris reliquissent , suas etiam miseras hæc multis malis confictata pertulit , & vix aliud erat , cum Scotica & Saxonica bella senescerent , quam magni nominis umbra. Cum enim Paulinus Saxonibus , qui hanc regionem occupant , Christianam religionem annuntiaret , in eam solitudinem redacta jacuit , ut non superfuerit Ecclesiola in qua Edwinus Rex baptismum acciperet. Qui anno à Virginis partu DCXXVI , Oratorium ex ligno posuit , cumque majorem jam Ecclesiam è saxo moliretur , vix jactis fundamentis , morte præreptus successori suo Oswaldo perficiendam reliquit. Iam inde Ecclesiastica dignitas in hac urbe convaluit , pallioque ab Honorio PP. misso facta est Civitas Metropolitana , quæ præter duodecim in Anglia Episcopatus , in omnes Scotiæ Episcopos Primatis jure fungeretur : sed multos ante annos recessit à sua Metropoli Scotia , & ipsa Metropolis alios vicinos Episcopatus , tenues illos quidem , & fere umbratiles ita devoravit , ut jam quatuor solum in sua diæcesi habeat , Dunelmensem scilicet , Cestrensem , Carlionensem , & Mannensem sive Sodorensis in Mannia insula. Egbertusque Archiepiscopus (qui circa annum Salutis DCXXI floruit ) omnium Liberalium artium (sic habet Malmesburiensis) armarium , ut ita dicam , & sacrarium , nobilissimam Bibliothecam Eboraci constituit. De qua Alwinus Eboracensis Caroli Magni Præceptor , Parisiensis Academiae primus institutor , atque unicum hujus urbis decus , in Epistola ad Carolum illum , *Date mihi exquisitoris eruditionis scholastica libellos , quales in patria habui , per bonam & devotissimam Egberti Archiepiscopi industriam. Et si placet sapientia vestra , remittam aliquot ex pueris vestris , qui excipiant inde quæque necessaria , & revehant in Franciam flores Britannia , ut non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus , sed etiam in Turonica emissiones Paradisi.* Tunc etiam multis & magnis beneficiis Ecclesiam Eboracensem principes cumulaverunt , præcipue Vlphus Toraldi filius (ex veteri libro adnoto , ut rara quædam consuetudo in dotandis ecclesiis elucescat) *Dominabatur Vlphus ille in Occidentali parte Deiræ & propter altercationem filiorum suorum senioris & junioris super Dominis post mortem , mox omnes fecit æque pares. Nam indilato Eboracum divertit , & cornu quo bibere consuevit , vino replevit , & coram altari Deo , & Beato Petro Apostolorum principi omnes terras & redditus flexis genibus propinavit. Quod cornu ad patrum usque memoriam reservatum fuisse accepimus.*

Ecclesiasticæ hominum nationi derogare videar , si simulates imo apertas inimicitias quas humana ambitio concitavit inter Eboracenses & Cantuarienses Archiepiscopos memorarem , dum magno opum & majori existimationis dis-

Britannia.

pendio de primatu acerrime concertarent. Eboracensis enim ecclesia , ut ille scribit , *licet Cantuariensi divitiis impar , pari tamen dignitate , quamvis posteriori tempore fundata ; & eadem potestate qua & Cantuariensis sublimata , Apostolicorumque privilegiorum consimili auctoritate confirmata* ægre tulit Cantuariensi subjici ex decreto Alexandri PP. Romani , qui constituit , *ut Eboracensis Ecclesia Cantuariensi debeat subjacere , ejusque Archiepiscopi ut Primatis totius Britannia dispositionibus in his quæ ad Christianam religionem pertinent , in omnibus obedire.* De Archiepiscopis aliquid hic attexere instituti certe non est mei , licet ex illis plurimi virtutis & pietatis merito celebrandi. Satis sit verbo innuisse à Paulino , qui anno reparatæ Salutis DCXXV primus Archiepiscopus consecratus , sedisse sexaginta quinque Archiepiscopos ad annum CIOCVI , quo Tobias Mathæus virtutum & pietatis ornamentis , erudita facundia , & docendi assiduitate reverendissimus huc ab Episcopatu Dunelmensi fuit translatus.

Hæc urbs Saxonico imperio aliquandiu florentissima fuit , donec Danica tempestas ab Aquilone proruens eam ruinis ingentibus rursus deformavit , & funestis cædibus cruentavit. Id quod Alcuinus ille in epistola ad Egelredum Northumbriæ Regem prælagisse videri possit. *Quid significat , inquit , pluvia sanguinis , quam Quadragesimali tempore , in Eboraca civitate , quæ totius regni caput est , in Ecclesia B. Petri vidimus de borealibus domus sereno aëre de summo tecto minaciter cadere. Nonne potest putari de Borealibus partibus venire sanguinem super terram.* Maximis enim , & miserrimis sequenti sæculo calamitatibus in Danica vastatione intubuit. Anno certe Salutis DCCCLXVII bellis continuis ita quassata erant mœnia , ut Osbrigtus , & Ella Nordanhumborum reges , dum Danos persequerentur , nullo negotio in urbem iruperint. Qui ambo cruentissimo prælio in media urbe interfecti , Danis qui in urbem se receperant , victoriam reliquerunt. Vnde Guilielmus Malmesburiensis , *Eboracum furori Aquilonarium gentium prima semper obnoxia , barbaricos Danorum motus excepit , & ingemuit , multis ruinis conquassata.* Verum , ut ipse idem testatur author , Athelstanus noster Danis extorsit , & castellum , quod hic firmaverant , funditus subvertit. Nec succedentibus tamen annis se omnino bellis explicuit , cum seculum illud urbium subversionibus fatale decurreret.

Verum ut his malis finem , ita etiam Eboraco fere excidium intulerunt Normanni , cum enim Suenonis filii Danica classe CCCXL navium in proximo terram conscendissent , præfidiarii Normanni , qui in urbe duo castella tenebant , veriti ne domus suburbanæ hostibus ad implendas fossas usui forent , eas succenderunt : sed agitantibus ventis , ita diffusum est in universam urbem incendium , ut jam tota arderet , cum Dani irruentes miseranda ubique cæde grassarentur , Normannis trucidatis , Guilielmo Mallet , & Gilberto

decimarentur. Decimum enim quemque è Normannis forte ad supplicium elegerunt. Vnde ita in ultionem excanduit Guilielmus Primus , ut in cives , quasi à Danis stetitissent , internecione , in ipsam vero urbem redintegris flammis sæviret;

A a a a a

&

Vincentii speculum historiale.

Scotia Archiepiscopo Eboracensi olim subiecta. Vide in Scotia.

Bibliotheca.

Flacc. Alwinus sive Albinus floruit 780.

Th. Stobbes.

Archiepiscopus sexagesimus sextus.

Alfredus Beverlacensis in Bibliotheca D. Burghlai Thef. Ang.

Decimatio.